

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Humilitas k
cum fonte primo

Nichil que est quod nos ita et hominibus gratos et Deo faciat,
quam si uite merito magne humilitatis infimi sumus.

Humilitatem sequere,
non que ostenditur atque simulatur gestu corporis aut fracta uoce uerborum,
sed que puro cordis affectu exprimitur.
Aliud enim est uirtutem habere, aliud uirtutis similitudinem.

Multo illa deformior est superbia, que sub quibusdam humilitatis signis latet.
Nescio enim quomodo turpiora sunt uicia, cum uirtutum specie celantur.

Ieronymus ad Cellanciam.

nihil est, quod nos ita et hominibus gratos et deo faciat,
quam si uite merito magni, humilitate infimi simus.
propter quod scriptura dicit: quanto magnus es, tanto te humilia,
et coram deo inuenies gratiam et deus loquitur per prophetam:
super quem alium requiescam
nisi super humilem et quietum et tumentem uerba mea?
uerum tu eam humilitatem sequere,
non quae ostenditur atque simulatur gestu corporis aut fracta uoce uerborum,
sed quae puro affectu cordis exprimitur.
aliud est enim uirtutem habere, aliud uirtutis similitudinem;
aliud est rerum umbram sequi, aliud ueritatem.
multo illa deformior est superbia, quae sub quibusdam humilitatis signis latet.
nescio quo enim modo turpiora sunt uitia, cum uirtutum specie celantur.

Hieronymus Stridonensis, *Epistulae*, 148.20 (CSEL 56, I. Hilberg ed., pp.346-7,
ll.14-24, 1-2).